

requiritur integritas, adeoque conjunctio panis & vini: in oblatione, unio sacramentalis: in collatione, unio spiritualis.

2. *A quonam sacra cœna sit instituta?*
 Circa causam efficientem S. Cœnæ tria sunt adnotanda: videl. causa institutionis, administrationis, & exhibitionis. Causa institutionis est Christus, ut constat ex historia euangelica. Causa administrationis in prima Cœna fuit ipse Christus; deinceps fuit, & esse debet ordinarius pastor, qui hic debet cogitare vetus illud, *Christi actio est nostra institutio.* Causa exhibitionis est partim ipse Christus, qui rem sacramenti, hoc est, seipsum, per Spiritum sanctum, confert fidelibus; partim minister, qui signum offert.

3. *Cur Christus Cœnam immediatè celebraverit post esum agni paschalis?* Quia illam substituit in hujus locum.

4. *Cur Christus prius lauerit pedes discipulis, quam celebraret hanc Cœnam?*
 Quia non solum mos orientalium ita ferebat, sed etiam ut facto exemploque suo illis præiret ad modestiam & charitatem, & denique doceret, se esse, qui nos à sordibus peccatorum lauet, qualisque ad sacra hæc nos oporteat accedere. Atque hinc factum, quod veteres lotionem istam pedum appellauerint sacramentum.

5. *An*